

PARALLELA  
ETHICA ET  
IVRIDICA.

VINCENTII TVRTVRETI  
Siculi, PHILIPPI QVARTI Regis  
Hispaniarum Capellani.

*Es la lib<sup>a</sup> del Cat<sup>o</sup> de la Cong<sup>a</sup> de S<sup>to</sup> de Salam<sup>a</sup> ca don<sup>a</sup>  
fr. Gasp. Antonij ora pro ea*



PARISIIS,

Apud C. MORELLVM Typographum Regium, viâ  
Iacobæâ ad insigne Fontis.

M. DC. XXIX.  
CVM PRIVILEGIO REGIS.



*Auunculo Illustrissimo*

**DON IOSEPHO DE NEAPOLI**

**PATRIMONII EXPRESIDI,  
PHILIPPI IV. REG. MAX. IN SUPREMO  
Italicarum rerum Senatu Consiliario, & Siciliae  
Regenti.**



**D**ISSERTATIONES hasce, quas scripsi, ut minimè ociosè ociarer, publici iuris facio, & tibi datas, & dicatas volo, Auuncule illustrissime. Sic fiet ut eò redeant unde sunt profecta: Si quis enim est in me bonarum artium cultus, quem sentio esse exiguum, tibi gratissima mente ex solido adscribo; qui mihi exemplo praeiunxisti, & verbis excitasti ad assecutionem. Dabo igitur grati animi documenta, tu meis scriptis conferes ornamenta, quae, & si ego minimè parcè commemorarem; nec mihi citra fidem neque obtreccationi futura sponderem. Nam si Auunculum laudans domestica praedica- rem (tuerer me verbis, imò exemplo Nazianzeni in laudem Gorgoniae sororis) non tamen quia domestica ideò falsa; sed quia vera ideò laudabiliter: vera autem non modò quia iusta, verùm etiam quia nota. Nec fraudi fuit Tacito laudasse socerum, Plinio Auunculum; & florente, & marcescente Rep. pietati tribuere laudationes pro rostris in funere propinquorum. At verò diluxit, splenduitque in Sicilia tua familia; ex qua prodire praecleari omnium ordinum viri, quà togà illustres, quà sago insignes, quàm fulis venerandi: Antistites dico, viros ordinum equestrium, Regios & Consiliarios. Congrueret perbellè, si uti vellem, elogium doctissimi scriptoris: Elaboratae sunt longà etate vestri generis dignitates,

Nazianz. orat. 11. praeter Nonnam matrem, & Gregorium patrem abundè laudatos ab eodem. Orat. 19.

Cassiod. lib. 3. epist. 5.



# PARALLELA ETHICA ET IVRIDICA.

DISSERTATIO I.

ETHICE.

*Homo naturâ suâ pronior - ne ad vitia quàm ad virtutes? Occasio problematis: Pars negans: Pars aiens. Iudicium. Aduersarijs satisfit. Hic de conscientia. De inclinatione in propriam perfectionem. Diuersitas regionum. Diuersa temperatura, sydera natalitia quam vim obtineant.*



QVÆ subijciam ex bonis auctoribus F. excerpta, occasionem problemati dedere de inclinatione ingenij humani. Pronius-ne sit ad vitia, quàm ad virtutes? Etenim de humana conditione magnificè elatéque cogimur sentire, quoties illustrium virorum in hominis laudem

A